QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Iovis 23. Februarij.

M. MATHVRINO DENYAV, Doctore Medico & Professore Regio, Præside.

An Sedes Somni sit cor?

I.

NVLLVS sensus in actione versatur absque ope spirituum, hinc animalibus somni vigiliæque vicissitudo necessaria est, cùm subtiliores illorum spiritus ob rariorem substantiam facilè resolvantur, nec sufficiens fieri possit eorum restauratio sola partium quiete, si spiritus ab humore alibili minimè sejunctos exceperis, sed præterea caloris, cujus virtute sunt educendi, & humoris, è cujus sinu prodeunt contractionem & revocationem ad sui officinam exposcant: Sensuum igitur externorum functiones omnes intermitti necessum est, si spirituum influxus inhibeatur obstructâ viâ, quæ pertingit ad ostia communis sensus, in quem undique velut in centrum externę facultates, rerum perceptarum imagines quasi lineas transmittunt, vicissimque ab eo, ut à piscinâ, spirituum animalium derivationem excipiunt. Sic somnus est vinculum primi sensorij, ac proinde ligatio est omnium sensuum externorum ad animantium quietem & salutem instituta; opposita verò vigilia est omnium sensuum externorum aut saltem aliquorum solutio & libertas, quippe ratio somni plus excludit, quàm vigilia includat; omnes sensus externi à functionibus cessant, aut infirmiùs exercentur, dum somno tenemur, quo nihil morti similius, tunc enim corpus amicâ vi soporis elisum, blandę quietis necessitate prostratum, immobile quodammodo situ, quale post vitam jacebit.

II.

HVNC in finem natura in somno spiritus omnes colligit ad proprium fontem, atque ad intima corporis penetralia, hinc partes externæ

dormientium frigidæ, quæ ſpirituum intro receſſu hebetiùs ſentiunt: ita dum ex puriorum ſpirituum repreſſione ſeu reſolutione devinciuntur animalis directio ac puriorum ſenſuum uſus, ſomnus obrepit, recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quando enim ſenſus externi tempore ſomni quieſcunt, collecta ad functiones internas obeundas ſpirituum animalium diſpendia reparat, vitalis facultas in ſiniſtro cordis thalamo vitales ſpiritus impenſiùs elaborat, virtus concoctrix in alimenti coctionem perfectiùs incumbit, & reliqua munia majore agendi robore perficit. Hæc autem ex alimento educta evaporatio ad ſuperiora ſimulque remotiora perducta, cùm ulteriùs aſcendere non poſſit, inferiora repetit, frigidorumque membrorum virtute frigidior denſiorque facta, non tantùm perturbat ac caliginoſos reddit ſpiritus puriores ſenſuum organis inſervientes, eademque capitis ſuperiora inſitâ levitate petentes, verùm etiam comprimit & ad proprium fontem retrudit, cor ſcilicet calidiſſimum & humidum, vitę principium, primum ſenſorium, regem totius microcoſmi, qui caloris & ſpiritus vivifici, à quo omnia geruntur & pendent, opifex ac largitor eſt munificentiſſimus.

III.

PROXIMA ſcilicet ſomni naturalis cauſa eſt influentis calidi ad viſcera retroceſſus & contractio, hoc abſente, actionum organa neceſſariò feriantur: Princeps hujus revocationis cauſa eſt anima ſui domicilij provida rectrix, ut omnem ſpiritus exhalantis mox futuram jacturam præpediat, ejus damna reſarciat, & organorum laſſitudinem inductá requie demulceat. Eſt enim homini præfixus à naturæ Opifice finis, ut vitam rationalem, ſive actuoſam, ſive contemplativam ducat: huic proximè divinæ vitæ deſtinata ſunt omnia animalia organa, quę intellectui expeditum optatumque obſequium deferunt. Vitalis ſpiritus, qui eandem cum ſpiritu animali dicto naturam & ſubſtantiam habet, ac ſolùm accidente, nempe refrigeratione differt, ad functiones animę obeundas exigitur, qui cùm æthereę & tenuiſſimę ſubſtantiæ ſit particeps, facilè tenues in auras vaneſcit, in cujus locum alius atque alius continenter ſubſtituendus eſt; cujus materia eſt vapor ſanguinis in cordis promptuario elaborati jugi ac perenni ejuſdem actione, aliàs ſpiritus vitaque ipſa deficeret, quamvis totus ſanguis in vaporem faceſſeret. Hinc accidit, ut nimius corporis aut animi labor in lipothymiam aut ſyncopem exolutis ſpiritibus hominem præcipitet, & organa fatiſcant, doloremque aut alteratione, aut tenſione, aliâve unionis ſolutione patiantur non ſine gravi damno. Hoc conſilio natura partibus, quę actione perpetuâ agitari debuerunt, cujuſmodi ſunt cor & pulmo inter contrarios diaſtoles & ſyſtoles motus, breves quietes indidit, ne deficerent labore indeſinenti fatigatæ.

IV.

PORRO cùm contrariorum ſit una & eadem diſciplina, unum idemque ſubjectum, ſomnus & vigilia uni eidemque animæ parti & ſubjecto

tribuenda sunt: non quidem intelligenti facultati, cùm bruta sicut & homines has passiones sustineant: nec naturali, cùm in somno potissimùm vigeat, suasque operationes expeditiùs absolvat, majus enim ex unione caloris instrumentarij opificis robur illi comparatur: quin & plantę non dormiunt, quę tamen naturali animę facultate donatę sunt. Itaque sentientis potentiæ passiones sunt somnus & vigilia, cùm omnes sensus ab anima sentiente originem ducant, & consopiantur in somno, excitentur in vigiliâ: at sentientem vim in corde tanquam in regio tribunali considere necessaria principum potentiarum unio arguit, earumque gestiones vel ipso sensuum testimonio id comprobant. Somnus igitur est cordis affectio: quia ut sensus omnes conquiescunt, dum consopitur facultas quę eos omnes è suo sinu profert, sic omnia sensuum organa necessario eoque arctissimo vinculo ligantur, ubi diminutum atque coarctatum est commune omnium sensoriorum sensorium, eamque ob causam quæ naturæ legibus continetur, absque ulla noxâ eorum quæ ad vitam pertinent, ut in lipothymiâ & syncope, epilepsiâ, præfocatione, & id genus aliis accidit, in quibus sensus obtorpescunt, & vi morbi feriantur, quoniam in ἐκλύσει animalis virtutis defectui adjungitur facultatis naturalis seu vitalis compressio, qua vitales spiritus, sanguis & vis vegetatrix simul contrahuntur ac debilitantur: in epilepsiâ & uteri strangulatu ideo laborantes sensu ac dirigendi virtute destituuntur, quoniam colli & gutturis venis intumescentibus, respirationis ad vitam necessariæ organa impediuntur ac comprimuntur.

V.

NATVRALIS somni causa statuenda est caloris à corde in cerebrum partesque superiores elatio; & quemadmodum ex terrâ irriguâ vapores ab imo attrahuntur, maximèque cùm sol radios calidiores spargit; ita in nostri opificij solo evenit, cibis intra nos per innatum calorem ebullientibus: cùmque calor suâpte naturâ sit mobilis & sursùm tendat, è partibus humidis vapores elicit humoreque imbuitur; quo quidem gravior effectus, ad inferiores partes devolvitur, & ad cordis venas unde prodierat revertitur: quas gravans & incompletâ obstructione calorem ingeminante occludens quodammodo & infarciens somnum accersit; idcirco infantes & qui pituitâ redundant, somniculosi sunt, senes verò & melancholici pervigiles: quia in illis vapores non aliter ac fumus per ipsas membrorum quasi parietum commissuras penetrant & in superiora capitis evadunt & convolant; inde verò ad meatus organorum sensuum delati, passim se se permiscent, sicque sensum omnem otiosum reddi necesse est; in his verò, quia sicciores sunt, nulla fit blanda anathymiasis: Eadem de causâ qui venas habent angustas, in somnum valde sunt propensi, quia humor vaporve crassior facillimè venas exiles infarcit: sic animalia statim à cibo potissimùm somnum ineunt, multi contrà ob inediam noctes insomnes traducunt, quia vapores suppeditat alimenti copia, negat inopia. Quædam edulia & potiones, ut amygdala dulcia, dactili seu palmulæ, lac, vinum, lactuca, buglossa, flores nymphεæ, aliaque similia dicuntur somnifera, quia plurimos

vapores sursum efferunt, & cerebrum humenti suavique halitu irrigant; venasque ac ductus per quas spiritus commeant quadantenùs obstruunt. In quâ igitur parte fit prima & remota alteratio sanguinis & spirituum conciliando somno accommodata, illa etiam sedes seu instrumentum somni erit remotum, sed præcipuum: Hoc verò fit in corde, nam nemine refragante ad ipsum vapores, quos calor è cibo humido eduxit, per venas frigidi & humidi deferuntur, & in ipso spiritus humectantur & frigescunt: Accedit finis somni, scilicet instaurare & confirmare vires animalium. Ejus igitur sedes in eo membro agnoscenda est, à quo totius corporis vires prodeunt & roborantur.

Ergo Sedes Somni est Cor.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS BIENDISANT, Aquensis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illust. Archiepiscopi Parisiensis Typographi.